



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Ioannis S. R. E. Cardinalis Bona Opera Omnia

Tribus Tomis comprehensa

Opuscula Spiritiva - I. Horologium Asceticum. II. Principia Vitae Christianae. III. Manuductio ad Coelum. IV. Via Compendii ad Deum. V. De Sacrificio Missae. VI. De Discretionem Spirituum ... Operum Eminentiss. Cardinalis, Tom. I

Bona, Giovanni

Parisiis, 1677

§. 22. Exercitium somni spiritualis

urn:nbn:de:hbz:466:1-9969

offerre semper intendo affectu omnium Sanctorum, in unione perfectissimorum exercitiorum humilitatis Christi Domini, B. Virginis, omniumque electorum tuorum. Tu qui humilia respicis in cælo & in terra, respice in faciem Filii tui dilectissimi humiliantis se usque ad mortem Crucis, humillimæ Matris ejus & tot Sanctorum per humilitatem tibi placentium, & da gratiam eos imitandi ad maximam tuam, æternamque gloriam. Amen.

§. XXII. *Exercitium somni spiritualis.*

Venerabilis Antistes & vir Apostolici spiritus Franciscus de Sales Episcopus Genevensis, cum adhuc juvenis esset, exercitium quoddam somni, sive quietis spiritualis sibi præscripsit, quod præcipuarum virtutum actus complectitur & est ejusmodi. Electo huic sacrae quieti & mystico somno, opportuno tempore, tibi primo in memoriam revocabis pios motus, desideria, sensus devotionis, animi decreta, inspirationes & lumina, quæ tibi unquam à Deo immissa sunt: morbos item, infirmitates & adversitates ex quibus profecisti; & bona proposita, quotquot olim fecisti, renovabis. 2. Quiesces in consideratione vanitatis, honorum, dignitatum & voluptatum hujus mundi, easque rejicies & abominaberis. 3. Quiesces in consideratione turpitudinis & miseriæ peccati, malorum quæ secum affert, pœnarum quibus hominem reddit obnoxium, bonorum quibus animam privat, illudque propter hæc detestaberis, & maximè quia displicet Deo. 4. Dormitabis suaviter in cogitatione excellentiæ virtutis; quæ adeo pulchra & nobilis est, ut hominem mutet in Angelum & Deo similem faciat: eamque setio amplecti propones, eligendo media ad ejus assecutionem proportionata. 5. Ponderabis rigorem divinæ iustitiæ & terribilitatem abyssi judiciorum Dei, teque ad virtutem excitabis ex attenda mortis & sequentis judicii consideratione, sic tecum differendo: En morior, quid proderunt mihi divitiæ, quid carnis illecebræ, quid cul-

C. *Bona Opusc. Spiritus*

K

men dignitatis? Transierunt omnia sicut umbra & jam mihi reddenda est de omnibus exactissima ratio. 6. Infinitam Dei sapientiam & bonitatem admiraberis, qui tot tibi media & instrumenta ad salutem providit per Filii sui Incarnationem, Sacramentorum institutionem, B. Virginis & Sanctorum exempla, & alia multa ejusdem generis. Septimò tandem in amore solius Dei elicitis ferventissimis ejus actibus requiesces.

§. XXIII. *Exercitium in ariditate.*

CUM tempore ad orationem destinato ita aridus es, ut meditari & orare non possis, aliquod ex sequentibus exercitiis assumes, in quo immoraberis, donec consueta meditationis hora elabatur. Prìmo percurrere breviter præcepta Dei & Ecclesiæ, & discute quomodo singula observaveris; tum veniam pete & propone emendationem. Eodem modo discurras per septem vitia capitalia, sensus corporis, potentias animæ & tui status, seu officii particulares obligationes. Secundo, recita aliquam orationem vocalem attentè, immorando in singulis verbis, donec aliquis pius affectus tibi occurrat. Tertio, vitam Christi in certa spatia & loca divide & ea mente percurrere, addito in singulis erga propositum mysterium aliquo pio affectu. Loca autem poterunt esse, Nazareth ubi conceptus, Bethleem ubi natus, Ægyptus, iterum Nazareth, desertum, Galilæa & Judea ubi prædicavit, cœnaculum, hortus & cætera passionis loca, Sepulchrum, Limbus, iterum terra & cœlum. Quarto, Spiritualis meditationis exercitium perage supra descriptum §. 14. Quinto, mente peregrinare ad S. Sepulchrum Domini, ad limina Apostolorum, ad S. Jacobum Compostellæ, ad B. Virginem Lauretanam; & in iis locis pete à Deo & Sanctis necessaria tibi ad salutem. Sexto, saluta Christi plagas modo præscripto §. sequenti. Septimò, visita carceres, xenodochia, agonizantes, in aliquo periculo constitutos, & pro singulis ora. Octavo, exercitium somni spiritualis